

Alte Drucke

Theses Tertiæ disputationis Theologicæ, De Actionibus Dei Et Inprimis De Creatione Propositæ. Ad Publicam ... In Augusto Collegio Mauritano 16. ...

Schönfeld, Gregor

Casselis, 1600

VD16 ZV 31090

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148901



Actenus aliquid de prima Theologia parte disputatum: Sequitur altera quæ est de actionibus Dei.

II.

Actio Dei est operatio Dei, qua is nunquam otiosus, sed semper est & fuit, absq; omni tamen labore occupatus in rebus extra se constituendis, constitutisq; gubernandis.

Ioh. 5. v. 17.

Pf. 121. v. 4.

Num. 11. v. 23.

Esa. 59. v. 1.

III.

Ea est, consilium vel exsecutio consilii. Omnia enim Deus facit secundum consilium voluntatis suæ.

Ephes. 1. v. 11.

Gen. 1. v. 26.

Pf. 135. v. 6.

III.

Consilium est actio Dei interna, qua in semetipso ante conditum mundum res omnes & singulas extra se futuras liberrimè, sapientissimè, optimeq; definivit & disposuit: eodemque sensu dicitur *πρόθεσις καὶ εὐδοκία τῷ θελήματι Θεοῦ.*

Mat. 11. v. 26.

Eph. 1. v. 4.

Act. 15. v. 18.

Esa. 46. v. 10.

2. Tim. 1. v. 9.

Roman. 9. v. 11.

V.

Quod cum omnis erroris sit expers, ideo & immutabile est, teste scriptura: Consilium meum stabit. Consilium Dei manet in æternum. Ego Jehova & non mutor.

Esa. 45. v. 10.

Psal. 33. v. 11.

Num. 23. v. 19.

1. Sam. 15. v. 18.

Malach. 3. v. 6. *Esa. 14. v. 24.*

VI.

Estq; cum providentia, tum prædestinatio.

VII.

Providentia est consilium Dei de futura omnium rerum, simpliciter consideratarum, creatatione & gubernatione.

Act. 15. v. 18.

Eph. 1. v. 4.

Psal. 135. v. 6.

A ij

Præ- *Psal. 103. v. 9.*

VII.

1. Ti. 1.8. v.9. Prædestinatio est consilium Dei de dispo-
1. Cor. 2. v.6. sitione Ecclesiæ ad salutem æternam per Chri-
1. Pet. 1. v.20. stum obtinendam.

Rom. 8. v.29. Act. 2. v.23. Eph. 1. v.4.

IX.

Atq; sic est, consilium Dei: Sequitur hujus
 exsecutio.

X.

Exsecutio consilii Dei, est actio Dei externa,
Ephes. 1. v. 11. qua in tempore decreto omnia secundum con-
Esa. 14. v.24. silium voluntatis suæ fecit, facit & facturus est.
Esa. 46. v.10. *Daniel. 4. vers. 32.*

XI.

Ea igitur respondens consilio est vel provi-
 dentia vel prædestinationis.

XII.

Exsecutio providentiæ, est exsecutio, qua
Act. 17. v.24. Deus res universas & singulas simpliciter con-
Psal. 93. v.1. sideratas actu creat, creatasq; gubernat.
Psal. 103. v.19. *2. Paral. 29. vers. 11.*

XIII.

Hinc duæ eius sunt partes: Creatio & Gu-
 bernatio. Ac de priori hac quidem disputatio-
 ne differere præcipuè nobis propositum est.

XIII.

Gen. 1. & 2. Creatio itaq; est prima pars exsecutionis
Rom. 4. v.17. providentiæ, qua Deus ea, quæ non sunt, vocat
Esa. 40. v.12. ut sint, quod sunt.

2. Cor. 4. vers. 6.

XV.

Huius cum primis observandus est modus
 & ordo. Ac

XVI.

Ac modus creationis talis est, quod Deus *Gen. 1.*
 vocando seu dicendo, hoc est, solo verbo absq; *Heb. 11. v. 9.*
 ullo instrumento, absq; ullis machinis, auxilio, *Psa. 148. v. 5.*
 conatu, labore & defatigatione deniq;, res an- *Psal. 33. v. 9.*
 tea non existentes omnes & singulas produxit.

XVII.

Ordo verò is est, quod Deus, qui ordinis
 non confusionis author est, omnia non simul in
 uno momento, punctoq; temporis, sed distin- *Gen. 1. & 2.*
 cto sex dierum spacio, ac priori quidem triduo,
 Cælum; Mare; Terram; ceu tria domicilia; Po-
 steriori verò omnem eorum exercitum veluti ci-
 ves & incolas istorum domiciliorum creavit atq;
 perfecit.

XVIII.

Ab historica igitur veritate alienam duci-
 mus illam opinionem, qua omnia simul uno die
 re ipsa condita, diversis saltem diebus postea in-
 notuisse putantur: quanquam ea magnum Au-
 gustinum habet approbatorem lib. 4. cap. 24.
 de Gen. ad literam.

XIX.

Ordinem igitur illum Dei secuti singula sex *Gen. 1. v. 1. 2.*
 dierum opera prælucente scripturæ lampade
 ordine diligenterq; contemplabimur.

XX.

Primo itaq; die, qui nobis est Dominicus,
 hæc tria: Cælum, Terra, & Lux ex nihilo nulla- *Gen. 1. v. 1.*
 q; præexistente materia, creata sunt.

XXI.

A iij

Cæ.

1. Reg. 8. v. 27. Cælum hoc est supremus ille & immobilis
 2. Cro. 6. v. 18. universitatis hujus ambitus: Unde & cælum cæ-
 2. Cor. 12. v. 2. lorum appellatur: Item: Tertium Cælum, in
 Eph. 4. v. 10. quod Christus ascendens supra omnes celos a-
 Heb. 7. v. 26. scendisse & cælis sublimior factus scribitur.

XXII.

1. Reg. 8. v. 27. Ab usu verò vocatur thronus, sedes & ha-
 Job. 14. v. 2. bitatio Dei. Item: Domus patris, in qua multæ
 Heb. 13. v. 14. mansiones, & locus nobis à Christo paratus est:
 2. Cor. 12. v. 2. Item: Civitas permanens: Paradysus: Domici-
 Jude. v. 6. lium Angelorum: qui & unâ cum hoc cælo cre-
 Psa. 147. v. 2. ati, & in domicilio illo collocati creduntur; Ide-
 August. lib. 1. cap. 32. de C. oq; in album creaturarum aliâ scripturâ in-
 D. scribuntur, quanquam Moses eorum in suo προ-
 Theodoretus τοῦτον ἐκεῖν expressè non meminit; utpote cui τὰ ὄρα τὰ
 questio: 13. in rudi populo describere propositum erat.
 Gen. Beda in Lomb. lib. 2. dist. 2. Damasc. lib. 2. cap. 6.
 Coloss. 1. v. 16. Psa. 104. v. 4.

XXIII.

Diversam huic cælo & tertiam ab aqua ter-
 Gen. 1. v. 2. raq; materiam tribuit Moses, quam quintam es-
 sentiam vocat Aristoteles, si tamen is hoc cælum
 & non potius sydereum intellexit.

XXIII.

Hoc cælum primo die perfectum fuisse sta-
 tuimus cum Moses id à confusâ illâ terræ ma-
 risq; mole expressè distinguat, nec ullam ejus vel
 efformationem vel ornatum postea describat.

XXV.

Terra primo die creata informis & inanis
 Gen. 1. v. 1. fuisse scribitur, quæ nullos fructus, nullamq; sui
 Psa. 104. v. 6. usu.

usuram præbebat, idq; propter superfusas aquas,
quibus operata involutaq; erat universa.

XXVI.

Propter hanc confusionem totum illud chaos nunc terra, nunc abyssus & aquarum vorago *Gen. 1. 2.*
à Mose per Synecdochen vocatur, atq; hoc chaos non, ut Ethnici putarunt, antea præexistebat, sed à Deo ex nihilo creatum est, ceu seminarium & prima materia omnium rerum corporalium, quæ ex eo postea creatæ sunt.

XXVII.

Prima itaq; rerum omnium materia non fuit unica & exilis, tantumq; animo comprehensibilis, qualem docebat Aristoteles, sed ingens illa moles corporea, Aqua scilicet & Terra.

XXVIII.

Lux porro primo die creata est qualitas quædam cælestis, lucida, calida, quæ triduo primo vaga, minimeq; organica ferebatur supra terram, motuq; suo diei noctisq; discrimen satis evidens efficiebat, chaos tenebricosum illuminabat, omnibusq; rebus producendis & conservandis vivificum existebat organum & causa secundum Deum præcipua & maxima; Unde lux omni animantium generi gratissima & amicissima semper.

XXIX.

Secundo die fecit Deus expansum, de quo Moses ita: dixit Deus; Esto expansum inter aquas, ut sit distinguens inter aquas unas & alteras, fecit itaq; Deus hoc expansum quod distinguit inter has aquas quæ sunt ab infera expansius

stius, & aquas illas quæ sunt à regione supèra expansi, & fuit ita. XXX.

Describitur itaq; hoc expansum à loco & usu. XXXI.

Locus eius est spatium illud vastissimum a-
quis terrestribus & cælestibus determinatum,
cōtinuaq; deductione & dilatactione à superficie
terræ ad extimum usq; cælum extensum.

XXXII.

Dividitur in duas regiones, in inferiorem
& superiorem. XXXIII.

Gen. 1. v. 19.

Deu. 28. v. 23.

1. Reg. 8. v. 36.

Matt. 6. v. 26.

Inferior expansi regio est spatium à superfi-
cie terræ ad Lunam pertingens, omniumq; me-
theororum aviumq; est receptaculum, diciturq;
cælum infimum, Philosophis verò aër, animalium
respirationi vitæq; inserviens.

XXXIII.

Ignis quem in huius suprema parte fingit
Aristoteles, nulla nobis vel scriptura vel ratione
firma ostendi persuaderiq; potest.

XXXV.

Superior expansi regio est spaciū illud à
Luna usq; ad tertium supremumq; cælum por-
rectum in quo collocata sunt ingenitabilia luci-
daq; corpora quarto die creata, philosophis re-
gio dicta est ætherca.

XXXVI.

Gen. 1. v. 17.

Ufus huius conditi expansi secundum Moy-
sen est ut ingentem illam aquarum molem, &
abyssum separaret, & medietatem ejus quasi
tergo excipiens à terra sursum elevaret, ut hæc fa-
cilis eminere posset, Hac

XXXVII.

Hac Mosaica descriptione convicti aquas
 illas cælestes supra expansum, seu cælum sydere-
 um esse, negare non possumus, quanquam eas ab *Psal. 148. v. 4.*
 aliis eruditissimis viris, in medio hujus expansi!
 ab aliis etiam supra cælum tertium & sedem be-
 atorum, collocari non ignoramus.

XXXVIII.

Tertio die terram, quæ huc usq; informis &
 inanis fuit & aquis immersa, ab aquis distinxit &
 ornavit. *Gen. 1 v. 9.*
 Aquas namq; reliquas terræ adhuc su- *Psal. 133. v. 7.*
 perfusas, vi quadam coarctatas in profunda- *Iob. 26. v. 10.*
 tem & alveos repulit, easq; non ferreis sed fabu- *Iob. 38. v. 8.*
 losis duntaxat & pulverulentis repagulis stupen-
 do modo conclusas adhuc continet: quod vel so-
 lum ad timorem Dei nobis incutiendum satis
 esse debebat.

XXXIX.

Aquis intra hos limites compulsis terram
 eminere fecit, omniq; metallorum, herbarum,
 plantarum, arborumq; genere passim replevit, *Gen. 1. v. 12.*
 pulcherrimeq; ornavit, ut toti animalium gene-
 ri uberrimum, copiarum cornu & penu refertissi-
 mum esset; Eidemq; admirabilem fecunditatis
 vim & facultatem germinandi indidit.

XL.

Maximè verò omnium illam terræ partem *Gen. 2. 8.*
 quam hominum habitationi peculiariter desti-
 navit, pulcherrimâ arborum amœnitate, fontium,
 fluminumq; suavitate exornavit, quò sensu
 terra illa hortus Eden, hoc est, deliciarum locus
 appellata est, & Paradysus.

B

Sic

XL I.

Sic autem stirpes & fruges ante solis stellarumq; creationem productæ sunt, ne vel eas ab astris in solidum pendere, vel Deum illis alligatum cum Stoicis putemus.

XL II.

Accepimus prioris tridui opera, triplicia scilicet illa domicilia; nunc incolas posteriori tri-duo conditas attendamus.

XL III.

Quarto itaq; die clarissima illa mundi lumina, Sol, Luna, stellæq; aliæ innumerabiles veluti vasa, *δοχεῖα καὶ ὀχήματα* lucis primo die creatæ, condita, & in expanso seu coelo secundo collocata sunt propter tres causas.

XL IIII.

Prima ut acceptam lucem mutuis vicibus terræ administrent & communicent. Altera ut suo motu, tempora, dies, menses & annos distinguant, naturæq; necessarias & gratissimas vi-ces efficiant. Tertia ut sint signa tempestatum, serenitatis, pluviae, frigoris & æstatis.

XL V.

Hæc intra septa versantem, adq; hos usus accommodatam astrologiam culpæ fas esto ne-
mini: Extra ea proripientem ad animæ, vitæ, for-
tunæ, morum, actionumq; humanarum divina-
tionem sectari & admirari piis religio esse debet
omnibus.

XL VI.

Quinto die Deus omnis generis pisces, vo-
lucres, que ex aqua producit, & utrisq; vim pro-
li-

lificam infundit, & has quidem aëris, illos verò
maris incolas constituit.

XLVII.

Decisa hic est antiqua illa multumq; inter
philosophos vexata quaestio: Utrum gallina ovo
prior fuerit, id enim Moses disertè affirmat.

XLVIII.

Sexto die terræ cives & incolæ, iūq; cum ser- *Gen. 1. v. 24.*
vi tum Domini, seu Bruta & homines, ex terra
producuntur, & vi gignendi sibi simile donantur

XLIX.

Ac bruta quidem ex terra prodire iussa vi-
tam ex elemento vitæ experte capiunt.

L.

Hominē verò Deus non ut reliqua nudo impe-
rio, sed habita quasi deliberatione (faciamus ho-
minem ad imaginem nostram) fecit, ac virum *Gen. 1. v. 26.*
quidem seu corpus ejus ex pulvere terræ, cui spi- *Gen. 1. v. 21.*
raculum vitæ, hoc est, animam inspiravit, foemi- *Gen. 1. 27.*
nam verò ex costa viri, utrumq; ad imaginem
suam.

L I.

Imago illa Dei in quatuor consistebat rebus: *Colos. 3. v. 10.*
1. In intellectu erat eximia sapientia, & integra *Gen. 2. v. 19.*
cognitio Dei ac operum ejus: 2. In voluntate e- *Eph. 4. v. 14.*
rat justitia & sanctitas. 3. In corpore erat decor *Gen. 2. v. 25.*
honestus ita ut nihil in eo etiam nudo appareret *Gen. 1. v. 26.*
pudendum: elucebat itidem in eo imperatoria *Psal. 8. v. 15.*
majestas & potestas in animalia omnia: 4. In to-
to homine erat beata immortalitas & vita feli-
cissima.

L I I.

Hæc complectabatur quatuor: 1. Sanctif-

Gen. 2. 15, 16. simam cum Deo comunem & colloquia familiaria: 2. Omnium bonorum, habitationis amœnissimæ, ciborum optimorum & sponte
Gen. 1. 28. provenientium affluentiam. 3. Imperium in animalia universa absolutissimum. 4. Immunitatem ab omni labore atq; molestia plenissimam:

LIII.

Sic homo sexto die, qui nobis est dies veneris, creatus est, quem postea ipso veneris die in patibulo redemit secundus Adam, ut Bernhardus loquitur.

LIIII.

Atq; hic est creationis ordo, hæc historia: opus universum, ab ornatu & pulchritudine mundus latinis, græcis κόσμος appellatur. absoluta itaq; *πρωτογενέσει* dies septima quieti est destinata.
Gen. 2. 2.

LV.

Plurimum hæc doctrina facit ad gloriam Dei illustrandam, & ad Ecclesiæ ædificationem promovendam.
Prov. 16. 4.

LVI.

Est enim hic mundus tanquam communis
Psal. 19. v. 1. & explicatus quidam liber laicis, imò omnibus
Rom. 1. v. 20. hominibus à Deo propositus, in quo gloria Dei enarratur, & invisibilia ejus, æterna nempe potentia, sapientia & bonitas ex rebus conditis intelliguntur & perspiciuntur.

LVII.

Et sanè mundi creatio in principio à Deo facta ejusq; tam diu continuata conservatio, imprimis cœlum, quod nulli hactenus mutationi fuit

fuit obnoxium, opificis æternitatem & incorruptibilitatem enarrant & prædicant.

LVIII.

Quis verò eum qui tot numero, tanta mole, tam spatiosa loco, ex nihilo, solus, & absq; labore produxit, omnipotentem non intelligat? Quis eum qui omnia tam apto pulcherrimoq; ordine disposuit, tanta tamq; admirabili varietate etiam ejusdem speciei creaturas distinxit, sapientissimum non agnoscat? Quis deniq; eum qui omnia valde bona creavit bonum non deprehendat & prædicet?

LIX.

Quod autem hominem præ omnibus creaturis ad imaginem suam fecit, eumq; in mundum jam luce illustratum, omnibus numeris absolutum atq; perfectum, omniumq; rerum bonarum affluentia, non tam ad necessitatem quàm ad inculpatam voluptatem refertissimum introduxit, omnium rerum dominum & quasi alterum Deum in terra constituit: id vero incredibilem Dei *φιλανθρωπίαν* mirificè commendat omnibusq; animis, linguis, actionibusq; celebrandam proponit.

LX.

Atq; sic mundi creatio Dei gloriam enarrat, nobisq; illustriorem reddit: Nunc quomodo eadem ad hominis ædificationem, ad pietatem, consolationemq; faciat, paucis ostendemus.

LXI.

Pietatem quidem, nostraq; cum erga Deum
tùm

tum erga proximum officia multipliciter nos docet ortus nostri consideratio: Quod enim nos Deus ad suam imaginem, & omnia reliqua ad nostram utilitatem condidit & ordinavit: id de perpetua nos erga Deum pietate, gratitudine, & obedientia admoneat: quod vero commune ortus nostri principium ex humo fuit: id nos ad humilitatem mutuamq; in nos invicem charitatem excitet atq; inflammet.

LXII.

Consolationis verò argumentum ingens præbet creationis nostræ recordatio, si enim afflicti & summis expositi periculis attollimus oculos in mundi theatrum, recordantes, quam facile Deo fuerit nos & omnia illa, cum non essent vocare ut essent: Discemus illi difficile non esse ex præsentibus periculis, & morte ipsa nos eripere imò, mortuos jam ex sepulchro educere & in cælestem paradysum introducere.

LXIII.

Ideo enim hæc potentiæ divinæ fax ex creationis opere elucens à Mose in fronte totius sacræ scripturæ, & ab Apostolis in principio omnium articulorum fidei posita est, ut Deum infinita cum redundantia omnia facere posse, quæ in verbo & articulis fidei se facturum & daturum promisit, creationis exemplo convincamur:

Esa. 40. v. 26.

Eccl. 28.

2. Mac. 7. v. 28

Psal. 68. v. 21.

Rom. 4. v. 17.

2. Cor. 1. v. 9.

Ioh. 6. v. 54.

Luc. 23. v. 43

Ephes. 3. v. 20.

Rom. 4. v. 2.

Num. 23. v. 19

Num. 11. v. 23.

Esa. 59. v. 1.

Gen. 17. v. 14.

Luc. 1. v. 17.